



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 59. Quinam præcipuè ex Theologis modernis consulendi sint pro  
solvendis dubiis conscientiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

ex tempore iudicare debet, ideo Confessarii, quibus non hominis sed Dei iudicium exercendum est, & quidem de animabus pretioso IESU Christi sanguine redemptis, lectioni eorum librorum, unde necessariam sibi scientiam hauriant, diligentissimi vacare merito debent utpote directorii Polanci, Manualis Navarrae aut eius compendii Summae Toletae, Enchiridii Binsfeldii & similium. Rectè monet S. Athanasius d. 2. contra Arrianos his verbis, ne susinueritis eos, qui novis rebus student, etiamsi doctrinae ex Sacris litteris scribant, ne susinueritis hoc genus scriptorum, etiamsi voces orthodoxa fidei loquantur, ne ita quidem loquentibus attenditis, non enim recto animo loquuntur, sed veluti indolentium ovium haec verba praefereunt.

464 Q. 59. Quinam precipuè ex Theologis modernis consulendi sint pro solvendis dubiis conscientiae. R.

§. I. Verricelli apud Moyam de op. prob. q. 4. n. 16. dicit consulendos Theologos, in quibus sit aequalis aut maior doctrina moralis quam scholastica similiter Bress. Bardi, Bonaspei apud Moyam n. 17. dicunt virum doctum in sola Theologia Scholastica non esse consulendum, nisi simul in morali ac casibus sit versatus. Addit Verricelli, scio frequentissime evenire, ut magni nominis Concionator magna doctrina reputetur, & sine difficultate ad eum tanquam doctissimum Confessarium recurratur, tamen ille in re morali ac casibus conscientiae minime versatus, sit revera indolens, unde seculares falluntur putantes se doctissimum habere Confessarium. Inde infert Moya n. 18. & 19., quantam Reges & Principes debeant adhibere cautelam in deligendis sibi pro negotiis conscientiae Consiliariis & Confessariis.

465 §. II. Consulendi sunt etiam tales, 1. qui non  
sunt

fint in iudicio præcipites; quidam enim gloriosum putant, si è vestigio ad casum respondeant, & sæpe impingunt graviter, ac postea ægrè fatentur errorem, & rem difficulter redintegrant: in illis præsertim, quæ à jure positivo pendent, periculosum est subito ferre sententiam; advertique semper, minùs doctos esse Doctores magis Resolutos, sed malè. 2. Qui non profiteantur nec passim sequantur laxitates, nam alioqui multas opiniones habent velut certò probabiles, quæ tamen re ipsa sunt tenuiter, vel dubiè, vel ad summum probabiliter, aut extrinsecè tantùm probabiles, de quibus à n. 366. usque ad 370. dictum est. 3. Qui etiam non affectent nimium rigorem, nam benignos esse oportet directores animarum, uti dicitur de pœnit. ad c. 2. dub. 3., & rigidi illi implicant animas gravissimis molestiis, difficultatibus, scrupulis. Cæteræ dotes Theologi moralis intelliguntur ex dicendis de pœnit. ibidem ad dub. 6., ubi agemus de scientia & prudentia Confessarii.

Q. 60. *An opiniones novæ potiùs docenda & se: 466*  
*quenda sint, quàm antiqua. R.*

§. I. Opinio duplici sensu appellari potest nova, vel quòd opponatur antiquorum DD. opinioni, vel quòd nunc sit inventa, fueritque antiquis incognita: si in primo sensu sit nova, non facilè est præferenda antiquæ, sive in practicando sive in docendo, quia si opinio antiqua tamdiu sustinuerit probam & examen Theologorum, meritò illi plus fidimus. Addit *Elix. l. 7. q. 10. & II. §. 2.* antiquos ex dispositione divinæ providentiæ debuisse in materiis fidei & morum esse minùs obnoxios errori, quàm recentiores, nam si antiqui errassent, fideles non habuissent, à quibus veritatem discerent, nunc autem, licèt errarent recentiores, superessent antiqui, quos legendo, considerando & sequendo possent errores suos deponere.